

*δεις turbulenta* dicuntur, cum vigiliis, spectris vel alvi fluxu acri turbantur. *Alia* simpliciter acres, *δακνώδεις*, mordaces: *alia* simul vocantur *άλμυρώδεις*, salsa, & *λιγνυώδεις*, favillosa. *Alia* non simpliciter acres, sed *κυσμώδεις* pruriginosa. *Quaedam* sunt *ἐξέρυθροι*, quæ rubram; *quædam* *ἐξωχροί*, quæ quasi croco tinctam; *quædam* *πέλιοι*, quæ lividam representant faciem. *Κοπώδεις* lassitudinaria, *κρυσμώδεις*, rigoribus crebris infestata, *κωματώδεις* in somnum propensæ nonnullæ dicuntur.

II. SUBJECTI ratione, sive quoad causam materiale, tot sunt ardentis varietates & species, quot partes, quæ subministrant fomitem. Nam juxta *Galenum* *comm. 4. de rat. viabilis in acutis* t. 1. *ἐπιότε μὲν γὰρ καθ' ἡν ὀποῦν, ἐπιότε δὲ καθ' ὅλον τὸ σῶμα γίγνεται.* Nempe in unâ corporis parte, quævis illa sit, interdum gignitur *causus*, interdum & in totâ corpore.

Febres ardentes in partibus determinatis, ceu in foco generatæ an sint febres essentielles, an symptomaticæ, dubitare quis posset. *Verùm* cum *Galenus* in classe essentialium de illis egerit, in illo acquiescimus.

III. CAUSÆ ratione seu quoad causam efficientem *alia* sit à bile sincerâ naturali flavâ; *alia* à bile præternaturali, adusta. *Alia* à pituitâ falsâ vel pituitâ mistâ cum bile.

## CAPUT XVIII.

de signis diagnosticis causi imminentis & præsentis, quæ petuntur ab essentialiter inhærentibus.

*Ὁρῆς θεραπεύειας πηδάλιον ἔστιν ἡ Διάγνωσις.* *Diagnosis* vel *innotis* *ρόξια curationis* est fundamentum, secundum *Trallianum* *libr. 9. cap. 1.* Non intellectæ nulla est curatio febris.

IMMINENTIS causi signa primò sunt attendenda. Hic tanquàm ex semine propullulans arbor, ex sensim collectâ putredine generatus cognitu difficilis. Difficilia autem cognitu quæ-